

sive unum *atrium fortis armati* scilicet ^{u)} diaboli. Verumtamen in *atriis domus Domini* ¹⁾, in quibus stamus vel ^{v)} stare debemus, hec ethimologia ^{w)} pene deficit, quia non est in eis ater fumus, nisi velis rationabiliter attendere, quia penitentium luctus lacrimosus quidam ^{x)} est fumus veram pariturus lucem sicut e ^{y)} contra fumus cecitatis et ignorantie, qui est in illo tali atrio iam dicti fortis armati, parit gehennę ignem inextinguibilem.

12 ^{a)} Cum hæc ita sint, nonne magis ac magis elucescit causa peregrinorum sanctorum Abraham, Ysaac ^{b)} et Iacob ceterorumque, qui civitates sive castella non edificaverunt, immo de civitatibus edificatis egressi in *casulis habitaverunt confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram? Expectabant enim fundamenta habentem civitatem*, ait apostolus, *cuius artifex et conditor est Deus* ²⁾. Civitates inquam et castella non edificaverunt, immo quod contrarium est civitatibus et castellis, hoc edificaverunt, scilicet altare Domino; quod ter ^{c)} primus vel notissimus peregrinorum fecisse legitur Abraham, primo ubi ingredienti terram Chanaan apparuit illi Deus et dixit: *Semini tuo dabo terram hanc* ³⁾; secundo ubi transgrediens vel progrediens terram tetendit tabernaculorum inter Bethel et Ahi ^{d 4)}; tertio ubi filium suum unigenitum iussus offerre in holocaustum laudabiliter paruit ⁵⁾. Ergo causa peregrinantium ^{e)} in hoc seculo filiorum Dei ista ^{f)} fuit et est et esse debet usque ad consummationem seculi ^{f)}, quia esse debent adiutores Dei, adiutores in edificatione Dei ad eiciendum fortem armatum de atrio suo ⁶⁾, quem vicit filius Dei. Quomodo ad eiciendum fortem armatum illum? Nimirum invadendo in primis ^{g)} et destruendo cunctas munitiones falsitatis seu ^{h)} machinamenta phanatici ⁱ⁾ erroris constantissima predicatione veritatis; et deinde eradendo, quoad ^{k)} possibile est, sive obscurando celso titulos superbiorum huius seculi, de quolibus in psalmo scriptum est: *Tabernacula eorum in progenie et progenie, vocaverunt nomina sua in terris suis* ⁷⁾. Exempli gratia: ut ubi congesta fuerat celsa tumba Romuli, illic superemineat aula ^{l)} Petri apostoli, et ubi discors frater

^{u)} scil. *fehlt B* ^{v)} stamus *einkorr.*, vel *fehlt B* ^{w)} etymologia *M* ^{x)} quidem *AM* ^{y)} e *fehlt AM*

12 ^{a)} c. 12 *fehlt J* ^{b)} Isaac *AM (stets)* ^{c)} tercio *B*, tertio *AM* ^{d)} Hai *AM Vulg.* ^{e)} peregrinationum *AM* ^{f)} ista ... seculi *fehlt B* ^{g)} in primis *fehlt B* ^{h)} sive *AM* ⁱ⁾ fanatici *M* ^{k)} quid ad *B* ^{l)} aula superemineat *AM*

¹⁾ *Ps. 115, 19; 133, 1 u. ö.* ²⁾ *Hebr. 11, 9. 13. 10* ³⁾ *Gen. 12, 7* ⁴⁾ *ib. 8*
⁵⁾ *Gen. 22, 1—12* ⁶⁾ *Vgl. Luc. 11, 21* ⁷⁾ *Ps. 48, 12*